

monstrare viam, revocare errantem, deferre hospitium, (non igitur mediocris virtus, de qua sibi plaudebat Job dicens: «Foris autem non habitabat hospes, janua mea omni venienti «patebat ¹⁾,» aquam de aqua profluenti dare, lumen de lumine accendere. Benevolentia itaque in his est omnibus, tanquam fons aquæ reficiens sitientem, et tanquam lumen quod etiam in aliis luceat, nec illis desit, qui de suo lumine aliis lumen accenderint. Est etiam illa benevolentiae liberalitas, ut si quod habes debitoris chirographum, scindens restituas, nihil a debitore consecutus debiti. Quod exemplo sui facere nos debere Job sanctus admonet ²⁾. Nam qui habet, non mutuatur: qui non habet, non liberat syngrapham. Quid igitur etiam si ipse non exigas, avaris hæredibus reservas, quam potes cum benevolentiae laude sine damno pecuniæ repræsentare? Atque ut plenius discutiamus; benevolentia a domesticis primum profecta personis, id est, a filiis, parentibus, fratribus, per conjunctionum gradus in civitatum pervenit ambitum, et de paradiso egressa mundum replevit. Denique cum in viro et fœmina benevolentem Deus posuisset affectum, dixit: «Erunt ambo in una carne ³⁾,» et in uno spiritu. Unde se Eva serpenti credidit; quoniam quæ benevolentiam acceperat, esse malevolentiam non opinabatur.

BENEVOLENTIAM IN ECCLESIA MÀXIME, ET EARUMDEM VIRTUTUM
HOMINIBUS PERSEVERARE.

Augetur benevolentia coetu Ecclesiae, fidei consortio, initiandi societate, percipiendae gratiae necessitudine, mysteriorum communione. Haec enim etiam appellationes necessitudinum, reverentiam filiorum, auctoritatem et pietatem patrum, germanitatem fratrum sibi vindicant. Multum igitur ad cumulandam spectat benevolentiam necessitudo gratiae. Adjuvant etiam parium studia virtutum. Siquidem benevolentia

1) Job. 31. 2) Ibid. 35. 3) Gen. 2.